

Liber Galeni de tumoribus praeter naturam ... / respondente Johanne Maclaeo.

Contributors

Maclaeus, Johannes, active 1632-1633.
Sebisch, Melchior, 1578-1674.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, Anno 1636.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dtzxft6x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

LIBER
GALENI
DE
TUMORIBUS
PRAETER NATURAM:

*In theses redactus, & in inclytâ Argentoraten-
sium Academia publicè ac solenniter
ad disputandum propositus*

à
MELCHIORE SEBIZIO, DOCTORE
ac Professore Medicinæ ordinario, Comite Pala-
tino Cæsareo, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOHANNEM MACLAEUM
Argentoratensium.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
ANNO M. DC. XXXVI.

NOBILISSIMIS, STRENUIS
& Amplissimis Viris,

DN. JOHAN:PHILIPPO Bockel/ } Fratri-
DN. JAC: FRIDERICO Bockel/ } bus ger-
manis.

NEC NON.

Reverendis, Clarissimis atq; Doctissimis Viris,

DN. JOHAN: MARTINO BERINO, Ecclesiae:
Scaphusianæ Pastori vigilantissimo:

DN. JOHAN: PHILIPPO MOHMIO, Eccle-
siae Keffenacensis Ministro fidelissimo.

DN. FRIDERICO EMMERICH, Diacono
apud Saletianos dignissimo:

DENIQUE.

Viris Spectatissimis, Integerrimis,

DN. GEDEONI SARACIN } Civib. & Mercatorib.
DN. REINHARDO SARACIN } Basil: Patri & Filio:

*Dn. Fantoribus, Cognatis, Sororio, omni honoris &
observantia cultu in perpetuum prosequendis,*

Hanc Disputationem Medicam submissè, reve-
renter & officiosè offert, dicat, consecrat

Johannes Maclaus, Argent.
Resp.



I N

LIBRUM GALENI DE TUMORI-
BUS PRÆTER NATURAM

Præloquium.

Nibellus iste, qui inscribitur περιλῶν παρὰ φύσιν ὄγκων, verus est & genuinus Galeni partus. Id enim, & ὁράσις Galeno usitata, & dogmata ab eodem recepta, & testimonia ejusdem planum faciunt. Nam in ἐπιλόγῳ μικροτέχνης, quo in catalogum suorum scriptorum proponit, istius libri meminit. Et in l. de propriis libris c. 3. alibiq; sæpius illum pro γνησίῳ agnoscit.

Pertinet autem ad eam Medicinæ partem, quæ, quòd affectus præter naturam, Morbos scil. morborum causas, & symptomata, explicet, παθολογικὴ appellatur. Species enim & differentias Tumorum præter naturam enarrat. At isti affectus in albo morborum numerantur.

Dividi potest in partes tres.

Prima habetur capite 1. in quo ὀνομασιολογία traditur, quidque vocabulo tumoris præter naturam designetur, & quomodo hic accipiatur, ostenditur.

Secunda continetur reliquis capitibus usque ad ultima verba capitis postremi, & πραγμασιολογίαν complectitur: hoc est, enumerationē specierum & differentiarum tumorū præter naturā: quæ vel à subjecto, sive à loco affecto, quem occupant:

A

vel

vel à causâ, quæ partes in tumorem attollit, desumuntur. Nam ratione subjecti alij tumores sunt universales, qui totum corpus, aut maximam illius partem obsident, quales in anasarca & ascite visuntur: alij particulares, qui unam duntaxat corporis particulam affligunt. Ratione causa sunt quadruplices: quoniam ipsa quoq; causa quadruplex est: humor aliquis, flatus, pars situm mutans, & res toto genere præter naturã, tum solida, tum liquida. Humor, vel est sanguis, qui causa inflammationũ: vel bilis flava, quæ causa erysipelatum: vel pituita, quæ causa œdematũ: vel melancholia, quæ causa scirrhi, cancri &c. vel aqua, sive serum, quod causa omnium tumorum aquosorum: cujus generis sunt, ἀσκίτησ, ὑδροκήλη, ὑδρόμφολος, ὑδροκέφαλος, vesicula & aquula omnes: vel pus, quod causa quorundam abscessuum & empyematum. Flatus ἐμφυσήματα, hoc est, tumores flatuosos parit; quales sunt τυμπανίτησ, πριαπισμός, σατυρίασις, πνευμαλόμφολος. Pars situm mutans & in partem aliam decumbens, vel est intestinum, quod causa ἐντεροκήλης: vel omentum, quod causa ἐπιπλοκήλης: vel articulus aliquis luxatus, qui & ipse tumorem generat eã in parte, in quam decumbit: vel pars quedam interna alia, quæ tumefacta, exteriorem etiam, quæ illi superposita, in tumorem elevat. Hinc scribit Gal. c. 16. hujus libri, propter inflammationes, scirrhos & abscessas viscerum abdominis tumere etiam partes ejus alias. Restoto genere præter naturam varia est & multiplex: & quidem, uti dictum, aut solida, luto, ossibus, lapidibus, unguibus, pilis &c. similis: aut liquida, urina, melli, muco &c. affinis: quemadmodum ex cap. 4. libri hujus constat. Ceterum, hæc ipsa causa aliquando simplex est & solitaria, quæ simplices & exquisitos tumores gignit: interdum composita, sive mixta, quæ mixtos compositosve tumores procreat.

Potest autem πραγματολογία iterum memorie & perspicuitatis causã in 4. membra subdividi.

In primo agitur de tumoribus sanguineis, ipsis scilicet inflammationibus, & ijs affectibus, qui inflammationes sequi nonnunquam consueverunt. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

In secundo de tumoribus biliosis. cap. 9. 10. & 11.

In tertio de melancholicis. cap. 12. 13. & 14.

In quarto de pituitosis, aquosis & flatulentis, cap. 15. 16. & 17.

Tertia pars extat cap. ultimo, paucissimisq; verbis absolvitur, & finem doctrinae de tumoribus p. n. imponit.

Thefis I.

Tumor ὄγκος Græcis dicitur: habetq; triplicem Pars I.
significationem. I. enim denotat διάστασιν εἰς μήκος, καὶ πλάτος, καὶ βάθος, spatium in longitu- ὀνομα-
τολογία.
dinē, latitudinē, & profunditatem: h. e. quamvis insigniorem alicujus corporis molem: eamq; evidenter in tres hasce dimensiones extensam. II. αὐξήσιν ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν innuit, incrementum humani corporis, quod naturale incrementum excedit. Quod sanè non solum ægrotis in parte qualibet; verùm etiam ipsis sanis inest. Nam & pingues atq; obesi aucti sunt ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν εἰς βάθος, καὶ πλάτος, supra id, quod est secundum naturam, in profunditatem & latitudinem; nondum tamen p. n. se habent. Dicitur enim sæpiùs, tertiam quandam esse κατάστασιν, quæ sit ἰῶν ἔφύσει διακειμένων σωμάτων, corporum non naturâ dispositorum: eamq; esse mediam inter illa corpora, quæ κατὰ φύσιν καὶ παρὰ φύσιν sese habent. Obesus quippe & gracilis non sunt præter naturam affecti: sed alter tantùm est supra id, quod secundum naturam existit, alter verò infra. Uterq; autem ἔφύσει, non naturâ dispositus dicitur. Qui verò tumidi sunt ex hydrope: aut graciles ex tabe, ἢ παρὰ φύσιν constituti censentur. III. sonat affectum quendam præter naturam,

qui in solis reperitur ægrotantibus: & vel corpus totum occupat: vel partem duntaxat aliquam obsidet. *cap. 1.*

2. Atq; hæc tertia significatio nostri est instituti. Ideoq; de singulis tumoribus jam agendum, si hoc prius notatum, quòd graviores excessus dispositionum, quæ & φύσει, non naturâ sunt, sint παρὰ φύσιν, præter naturâ: quòd q; terminus excessus earum sit actionis læsio. Cùm enim actio læditur, præter naturam dicuntur: cùm non læditur, nequaquam. Ideoq; ἡ βλάβη τῆς ἐνεργείας rectè ὀρεῖ ille statuitur: quoniam excessus illos dirimit atq; distinguit. *cap. 1.*

3. Sed de ejusmodi tumoribus longiori uti oratione nil attinet. Non enim soli Medici, sed in universum omnes homines nôrunt, majorem carnis & pinguedinis copiam, quàm æquum sit, eos tumores generare. Dicendum potiùs de illis tumoribus, qui κατὰ τὴν διάθεσιν αὐτῶν τῶν σωμάτων, secundum dispositionem ipsorum corporum, & non secundum quantitatem duntaxat ab eo, quod secundum naturam est, recedunt. *cap. 1.*

Pars II.

*Πραγμα
τολογία:
& mem-
brum illi-
um I.*

4. Inter hosce verò primam se φλεγμονὴ offert: quæ carnosissimè potissimè partibus contingit: habetq; 6. sibi adjuncta symptomata. 1. ὄγκον μείζονα, tumorem insigniorem. 2. τάσιν, tensionem. 3. ἀνήλιψίαν, renitentiam. 4. ὀδύνην σφυγμαλώδη, dolorem pulsatorium. 5. θερμότητα, calorem. 6. ἐρύθημα, ruborem. *cap. 2.*

5. Horum symptomatum quæ causa sit, non modò plebejos latet: sed etiam multos Medicos. Quod enim ipsis videtur, simpliciter enunciant: causas verò viâ aliquâ & ratione minimè inquirunt. *cap. 2.*

6. Inquirentur autem, si quis hac via procedat. Dicitum fuit, phlegmonem tumorem esse in partibus carnosissimè insigniorem. Causa tumoris istius cognoscetur, si in memoriam revocetur, nunquam tumorem majorem in parte

in parte aliquâ fieri, nisi vel substantiâ ejus à multo calore veluti inferyescens liquetur & fundatur: vel foris novam aliquam substantiam assumat. *cap. 2.*

7. Quapropter, tumoris in inflammatione causa erit, vel substantia partis affectæ à multo calore veluti inferyescens liquata & fusa: vel substantia aliqua nova ab eâ aliunde assumpta. Tot namq; modis tumor in parte aliquâ fieri solet. At prior causa hîc locum non habet. E. posterior. E. pars inflammata tumida est propter substantiam aliunde assumptam. *cap. 2.*

8. Quòd prior causa hîc locum non habeat, hoc est, quòd pars phlegmone obsessa non sit in tumorem elevata ob substantiam ejus à multo colore liquatam & fusam, sequenti probatur argumento. *cap. 2.*

9. Quod liquatur & funditur, id *πνευμαλίσται*, in spiritus, sive vapores & halitus mutatur. At pars inflammata in spiritus minimè mutatur. E. non liquatur & funditur. *cap. 2.*

10. Minor probatur dupliciter. I. Quod mutatur in spiritus, in eo etiam spiritus isti observantur: quemadmodum eos observari novimus, tum in tumoribus aliis, tum vel maximè in flatuosis. At in parte inflammata non observantur. E. pars inflammata in spiritus minimè mutatur. *cap. 2.*

II. Hæc minor rursus probatur. Ex quo inciso atque aperto sanguis tantum effluit, & quod totum cernitur sanguine plenum: spiritus autem neq; statim in principio, neq; post exeunt, in eo spiritus non observantur. Atqui ex incisâ apertâq; parte inflammata sanguis tantum effluit, totâq; sanguine plena instar spongiæ madefactæ cernitur: & spiritus nulli, neq; statim in principio, neq; post exeunt. E. in eâ nulli spiritus observantur. *cap. 2.*

12. II. Quod à calore versum est in spiritus, id si sit refrigeratum, pristinam molem facilè resumit. At pars inflammata, si sit refrigerata, neq; statim, neq; semper pristinam molem resumit. E. in spiritus minimè est mutata. *cap. 2.*

13. Cum ergò tumoris in inflammationibus causa non sit pars inflammata, versa in halitū, sive vaporem & spiritum: sequitur, causam esse alteram, nimirum substantiæ novæ aliunde manantis exceptionem.

14. Hæc autem vel sanguis est, vel caro. Quod sic probatur. Quod rubet in corpore nostro, id vel caro, vel sanguis est. At pars inflammata rubet. E. vel caro, vel sanguis est. At non est caro. E. sanguis. *cap. 2.*

15. Quòd caro, seu, ut *Galenus* loquitur, *πολυσαρκία* nuda, sine multitudine sanguinis, non fit tumoris in phlegmone causa, sic confirmatur. In nullâ phlegmone color manet intra terminos salubres & naturales: sed planè p. n. alteratur. At in omni *πολυσαρκία* tumor quidem major est, quàm pro modo naturæ: color autem manet intra terminos salubres. E. *πολυσαρκία* non est causa tumoris in phlegmone. *cap. 2.*

16. Minor probatur. Quod secundum substantiam tantum augetur, in eo pristinus color minimè intenditur. At in *πολυσαρκία* caro secundum substantiam tantum augetur. E. in illâ pristinus color rubicundus minimè intenditur: sed idem planè manet. *cap. 2.*

17. Major hujus prosyllogismi probatur. Si quod in substantiâ augetur, etiam colorem intenderet, profectò & nix aucta alba magis fieret: & pix magis nigra: & aurū flavum magis. At consequens falsum esse oculi docent. E. quod secundum substantiâ tantum augetur, in eo pristinus color non intenditur: sed idem manet. Augmentum enim substantiæ res est ab alteratione diversa. Augetur

getur namq; res secundum quantitatem : alteratur verò secundum qualitatem : estq; color indicium substantiæ qualis, non quantæ. *cap. 2.*

18. Porrò, cùm πολυσαρκία causa inflammationis non sit, sequitur, causam illius sanguinem esse, qui aliunde influxit, quiq; partem implevit. Id quod *Galenus* multis rationibus confirmat.

19. I. Quia incisâ parte inflammata, multus sanguis effunditur. *cap. 2.*

20. II. Quia pars inflammata tota cernitur sanguine plena. *cap. 2.*

21. III. Quia pars inflammata insigniter rubet. At qualis color efflorescit foris, talis humor latet intus. Nullus autem præter sanguinem rubet. *cap. 2.*

22. IV. Quia videmus, ulceribus maximas quandoq; adjunctas esse inflammationes. Harum igitur causa est, vel ἰχώρ tenuis & aquosus, quem effluere videmus : vel spiritus, sive halitus & vapor; vel sanguis. At ἰχώρ causa phlegmonis non est: quoniã eo effluentē, pars inflammata nihilominus rubet, & phlegmone manet. Neque est spiritus : quia is quoq; exiret. Nam si ἰχώρ, corpus spiritu longè crassius, effluere potest, rarefactis & apertis ulceris labiis, quidni & spiritus ipse exhalaret? Eo autem evacuato, cessaret phlegmonis tumor. Hoc enim iis in partibus fieri cernimus, in quibus spiritus & vapores reverà collectos deprehendimus. Illis siquidem dissectis, statim tumor confidet. At egresso spiritu, nihilominus tumor inflammatorius perseverat. Relinquitur ergò, causam inflammationis, quæ ulceribus est associata, sanguinem esse. *cap. 2.*

23. V. Quoniam etiam illæ inflammationes, quæ vulneribus superveniunt, docent, causam inflammationis sanguinem esse. In principio enim, cùm vulnera

adhuc sunt recentia, sanguinis multitudo excidit: qui tamen aut à nobis per refrigerantia medicamēta sistitur: aut spontè supprimitur, refrigeratus ὑπὸ τῆ περιέχοντος, à continenti. Effluere quoq; prohibetur, labiis vulneris manuum operâ à nobis compressis, aut fasciis deligatis. Iis enim compressis atq; cōstrictis, sanguis deinde in orificiis vasorum dissectorum retentus cogitur atq; concre- scit, non secus atq; grumus. Quanquam hoc interfit, quòd grumus, θρόμβος græcè, sit ἀθρόα τῆ αἵματος πῆξις αἰθρητή, aggregata concretio sensibilis sanguinis. Quod verò in vulneribus fit, non ἀθρόωσ, sed in parvis & mul- tis oris dissectorum vasorum sanguinem sistit atq; in- crassat. *cap. 2.*

24. Quare, cùm sanguis iste sit crassior: vasorum verò orificia angustiora, sanguis quidem retinetur: sanies ve- rò effluit, utpote tenuior. *cap. 2.*

25. Hæc igitur Galeni judicio τεκμήρια sunt μέγιστα, quòd inflammatae partes sanguine abundant. *cap. 2.*

26. Calidior quidem is est, quàm pro modo naturæ, in iis, quæ inflammata sunt: attamen non eatenus calidi- or, ut μόνη τῆ χέσει, solâ fusione tantum tumorem effi- ciat. Id quòd Galenus rursùs sequentibus planum facit rationibus. *cap. 2.*

27. I. sumitur à febribus ardentissimis. Nam si fusio & liquatio sanguinis, h. e. conversio ejus in halitum, facta à forti calore, causa esset tumoris in inflammatione, utiq; in hisce febribus oporteret tumorem esse longè ma- jorem: quia causa fundens & liquans sanguinem, calor, longè est vehementior & intensior. At consequens est contra experientiam & αὐτοψίαν. E. tumor inflamma- torius non proficiscitur à fusione sanguinis facta à ca- lore. *cap. 2.*

28. II. petitur ab ipsa sanguinis substantiâ. Sanguis enim

enim non ut pix, resina, & cera à frigore concrevit: sed semper & naturâ suâ calidus est. Hæc quoq; corpora, cum à frigore concreverint, à calore liquantur. Hinc *Gal.* sic argumentatur. Si tumor partium inflammatarum fieret ob solam sanguinis fusionem, factam à calore, utiq; sanguis, quia calidus est semper, & in calido loco contentus, tumorem semper excitaret: si non tantum, quantum in inflammatis partibus conspicitur, saltem paulò minorem. At consequens est falsum. E. & antecedens.

cap. 2.

29. Consequens falsum esse probatur h. m. Si pix, resina, & cera, ad tantum perducta calorem, ad quantum perducuntur, quæ sunt inflammata, parum tamen super principium augentur, sequitur, neq; sanguinem, qui tam calidus non est, propter liquationem & fusionem tumorem parere. At prius verum esse testatur *αὐτοψία*. E. & posterius veritatem obtinet. *cap. 2.*

30. III. est, quòd alteratio sanguinis in calore in principio non respondeat inflammationis tumori. Illa enim est modica: hic verò insignis. Quapropter, si fusio sanguinis tumoris in phlegmone causa esset, oporteret sanè alterationem sanguinis in calore statim esse vehementem: quia tumor est insignis. Effectus enim respondet magnitudini causæ. At alteratio in principio vehemens non est. E. neque tumor foret insignis. Sed talis omnino est. E. Illius causa non est sanguinis fusio, sive in halitum mutatio: quoniam hæc non nisi à forti calore proficiscitur. *cap. 2.*

31. IV, sumitur *ἀπὸ τῆς φαινομένης*: quia videmus, sanguinem, quamvis igne coquatur, pristinum tamen tumorem servare: & aut in nullam, aut in minimam magnitudinem elevari: secus ac pix, resina, & cera, Hæc enim, si vehementiùs incalescant, plurimùm funduntur.

Itaq; si illius fusio, quæ fit à calore igneo, non facit, ut in tumorem attollatur, sequitur, neq; fusionem ejus in corpore facere, ut inflammatae partes eleventur ac tument. At prius verum esse experientia testatur. E. cap. 2.

32. V. similiter ex *Φαινόμενω* depromitur. Nam quæ eleventur & intumescunt propter fusionem à calore, ea detumescunt refrigerata. At hoc non semper fit in inflammationibus. E. Tumoris in inflammatione causa non est fusio à calore facta. cap. 2.

33. Minor probatur experientiâ. Nam si vigentem inflammationem, quæ est maxima, & ad summum magnitudinis gradum perducta, & in quâ jam humor, qui influxit, est impactus. vehementiùs refrigeres, tumorem minimè tolles, sed partem reddes lividam ac frigidam, inque scirrhum mutabis. Facilè autem, antequam sit impactus, refrigerantibus & adstringentibus eam repelles, præsertim si exiguus sit. Tenaciter verò impactum adstringentibus nil juvabis: sed vacuatione tolles. Unde Medici, tum diaphoreticis, tum etiam scarificationibus utuntur: ut illorum usu impactus sanguis insensibiliter: horum verò ministerio sensibiliter evacuetur. c. 2.

34. Hæc ergò, inquit *Galenus*, *μεγάλα* sunt *γνωρίσματα*, quæ fidem faciunt, partem inflammatam sanguine repletam esse. c. 2.

35. Sanguis autem incalescit immodicè, *ἐκ εὐθύσ ἐκ ἀρχῆσ*, uti paulò antè dictum: *ἀλλ' ἐν ἴῳ χρόνῳ*: nimirum quia perspiratio pristina ob pororum obstructionem est impedita. c. 2.

36. Quare, necesse est & sanguinem moram trahentem & quasi captivum detentum putrescere. Nam calida & humida corpora calido in loco collecta facilè putrescunt, si neq; vacuentur, neq; refrigerentur. Hinc fit, ut calor geminetur. Novus enim, quem sanguis con-

trahit

traxit ex putredine, ei supervenit, quem priùs habebat. *cap. 2.*

37. Quodsi quæras, cum pars inflammata sanguine sit repleta, Ubi nam sanguis, imò inflammatio ipsa consistat? Respondet *Galenus*, consistere illam & in vasis, tum majoribus, tum minoribus, & in carne, & in cute, & in membranis, & in nervis, & in tendinibus: breviter: in quavis inflammati membri particulâ, si inflammatio diutiùs perseveret. Nulla enim particula diu in statu naturali perseverare potest: sed omnes unâ cum carne, quæ subiectum inflammationis est præcipuum, de sanguineo fluxu participant, & consequenter etiam de inflammatione ipsâ: adeò ut ipsa quandoque ossa etiam inflammantur. *cap. 2.*

38. Cum pars secundum naturam se habet, cutis laxa est, præsertim in iis, qui graciles sunt & macri: & locus, qui inter cutem & carnem interjacet, vacuus. Eodem modo loca, quæ in carne sunt (*αἰκατὰ τὴν σάρκα χώραι*) inania sunt: præsertim illa, quæ arteriarum dilatationibus sunt circumposita. In inflammationibus autem omnia sanguine replentur: ex vasorum quidem tunicis resudante: per omnem verò carnis particulam roris in modum disperso. *cap. 2.*

39. Cæterum, quòd in inflammationibus etiam venæ sanguine sint impletæ, venulæ capillares docent. Hæ enim in statu naturali ob parvitatem sensum latent. At in inflammationibus admodum sunt conspicuæ & rubent. Quid ita? Quia sanguine distentæ majorésque factæ: non sanè in inflammatione demùm genitæ. Rem sic se habere, venulæ oculorum, mammarum & penis testantur. *cap. 2.*

40. Quòd verò omnis quoq; caro, ἢ σὴν ἤδη καὶ μάλιστ' ἀπαθῆσιν ἢ φλεγμονῇ, sanguineo repleatur fluxu, & color,

& tumor ipse ostendit. Quo nomine & humida omnis, & madescens est caro, non secus ac lana, aut spongia aquâ, aliove humore imbuta. Testis est hujus rei illa fanies, quæ effluit, cum inflammatio *στόμιον*, osculum habet. *cap. 2.*

41. Quòd cutis inflammationis & sanguinei *ρεύματος* particeps fiat, tumor ejus tensióq; docent. *cap. 2.*

42. Nervi & tendines progressu demùm temporis inflammationis fiunt participes. Interdum tamen ipsis vulneratis, aliterue affectis, ex illis ipsis primò malum incipit. Eadémque ratio ossium est: quæ & ipsa nonnunquam primò inflammationi occasionem præbent. *cap. 2.*

43. Sanguis extravasatus, & porositatibus, sive meatibus exilibus partis inflammatae impactus, procedente tempore à natura vincitur, & in pus vertitur. Suppuratus, extra carnem, quæ, uti dictum, præcipuum est inflammationis subjectum, à facultate expultrice eiicitur. *cap. 3.*

44. Itaq;, ubi meatus est naturalis, isque effatu dignus, veluti rivus, ad effluxum excrementorum paratus, vel ipse locus rarus est, ibi portio puris *διαπνέεται*, expirat: portio sensibilibiter effluit. *cap. 3.*

45. Ubi verò cutis densa duráq;, qualis est, quæ nos investit, circumfidet, ibi pus retinetur, cutimq; à subjectâ carne abducit. Postea acrimoniâ suâ eam perrodit, exitque foràs, nisi quis eam scarificare prævertat. *cap. 3.*

46. Cùm autem natura non vincit, sed à sanguine, qui affluxit, vincitur, tùm sanguis non in pus, sed in alienam quandam substantiam, & aliàs quidem in aliam, mutatur. *cap. 3.*

47. Vocantur hi affectus communiter à pluribus Medicis *ἀποσήματα*, abscessus: & maximè qui intus in profundo latent. Nonnulli verò non omnes istos affectus

ἐπισημάτα appellandos censent: sed eos duntaxat, in quibus materia impacta non in pus bonum ac consuetum, sed in διαφορὰν ἑτέραν ἵνα est conversa. *cap. 3.*

48. Nam ἀπαντα δὲ ἐκπύσκοντα, omnia, in quibus materia suppurata, alii quidem ἐμπύματα: alii verò διαπύματα nuncupant. Nonnulli autem ἐμπύμα dicunt, cum in viscere aliquo tale quid factum: & qui sic affecti sunt, ἐμπύσο nominant. Rursus, quidam alii eos solos ἐμπύσο vocandos arbitrantur, quibus inter thoracem & pulmonem pus collectum. *cap. 3.*

49. Cum corpora pus excoriat, eaque abducit à partibus subiectis: cumq; pure quoquo modo evacuato, quæ distant pristinam constitutionem recipere nequeunt, affectus κόλπῳ, sinus dicitur. *cap. 4.*

50. Nisi verò quis maturè eum curet, callum contrahit, durusq; spatio temporis efficitur, nec subiectis partibus agglutinari potest. *cap. 4.*

51. Coërcetur tamen, si siccetur medicamētis & diætâ, ut pars videatur rectè valere. Nam si quis semper accurato utatur victu, corpusq; habeat ὑγιεινὸν καὶ ἀπέριττον, salubre, & excremētis vacans, sinus manet cohibitus. Superfluitate autem aliqua generatâ, rursus impletur, & abscessus fit, qui erat ab initio. Sed si denuò evacuetur, sicceturq; impeditur. Et fiunt sanè hæc omnia ei faciliora, quam illis, quæ primò abscedunt. Neq; enim quòd divellantur, partes dolent. Iam quippe distant celerrimèque replentur, quòd sinus facilè τὸ πύμα suscipiat. Quin & promptè evacuantur: quoniam via effluxionibus est facta: ut si agglutinata fuerint partes, rursus doleant, cum abscessus rumpitur. *cap. 4.*

52. Cæterum, abscessus non tantum sequuntur inflammationes: sed etiam sine præviâ inflammatione fieri possunt, si humor à sanguine diversus locum affectum perrodatur.

perrodāt, & abducāt à subiectis τὰ περιέχοντα, ea, quæ
continet. *cap. 4.*

53. Proinde, si incidantur, omnigenā humidorum
solidorūmq; corporum speciem in se habere cernuntur:
v. g. corpora cœno, urinæ, grumo, melli, mucō, ossibus,
lapidibus, unguibus, & pilis similia. Quin & anima-
lia sæpè in iis sunt inventa, ad finia ijs, quæ ex putredi-
ne nascuntur. *cap. 4.*

54. Fistula, σύριγξ græcè, sinus est angustus & longus.
Ea, sicut & sinus alii, coercetur, rursusq; abscedit, ob ἐπι-
ρόην superfluitatum, perinde ut illi. *cap. 5.*

55. Ἀθέρωματα v. σεατώματα καὶ μελικηρίδας alii quidem
inter τὸ ἀποσήματα reponunt: alii vel ad genus aliud re-
ferunt. *cap. 5.*

56. Liquet autem natura illorum ex ipsis nominibus.
Etenim, in ἀθέρωμασιν invenitur aliquid, quod est ἀθέρω-
μα, pulticulæ simile. In μελικηρίσι, materia continetur μέλιτι,
melli affinis. In σεατώμασι contentum σεάριον, sebum refert.
Ut plurimum verò tunica quædam membranosa, quam
neoterici folliculum nominant, hæc corpora continet.
cap. 5.

57. Præter hosce tumores etiam alii se offerunt, v. g.
ἀνθρακες, γάγγραινα, ἔρπητες, ἐρυσιπέλατα, σκίρροι, οιδήμα-
τα, καρκῖνοι, πνευματώσεις: qui & ipsi à Medico cogno-
scendi, & quo ad naturam, & quo ad generationem. *c. 5.*

58. Ἀνθρακες, Carbunculi fiunt, cū, qui velut infer-
buit sanguis, & prope inflammationem est (ἐγγύστῃσ
φλεγμονῇσ) cutem perusserit. Ideoq; & crustam sibi ha-
bent adjunctam: & φλύκταινα, bullæ ulcus præcedunt,
quales insunt in πυρκαύσεισ, ambustis, febrimq; adferunt
acutissimam, & vitæ periculum minantur. Nigra verò
ubiq; & τεφρώδης, cinerulenta apparet carbunculorum
ulceris crusta: non tamen color, qui circum tumorem

conspicitur, ruber est, ut in inflammationibus aliis: sed declinat ad nigrius, & aliter quidem, quàm vel in Ecchymomatibus, vel in partibus iis fieri solet, quæ algore frigent. Non enim intensè lividus tumor est, ut in illis: sed habet aliquid splendens, ut bitumen & pix. Talis autem exacta est bilis atra: quæ & κακοηθείασ in carbuncolorum ulceribus causa est. Est verò sanguis vel ab initio statim atrabilarius: vel in bilem atram degenerat; idq; ob fervorem, quo veluti affatur. *cap. 6.*

59. Melancholia verò χωρὶς τῆς ζῆν, quæ sine fervore est, καρκίνωσ, caneros gignit; eosq; ulceratos, si sit acrior. *cap. 7.*

60. Hanc ob causam cancri & nigriores sunt inflammationibus, & ἡκιστα θερμοὶ, minimè calidi. Implentur autem venæ in iis, & intenduntur magis, quàm in inflammationibus. Minus enim excidit è vasis in carnem circumjectam, ob humoris crassitiem, qui caneros generat. Venæ tamen, ut in inflammationibus, rubræ non sunt. Quanquam varietas quædam hîc appareat pro varietate humoris infestantis. *cap. 7.*

61. Γάγγραινα magnas inflammationes sequitur: estque νέκρωσις, mortificatio partis affectæ: & nisi quis festinè illi medeatur, pars laborans facilè νεκρῆται totaliter, similîq; labe inficit eas, quæ illi sunt vicinæ, hominémq; è medio tollit. *cap. 7.*

62. Causa νεκρώσεως est suffocatio caloris nativi. Per maximas quippe phlegmonas vehementer obstructa sunt, & orificia vasorum, & omnia cutis spiracula. Ideoque naturali διαπνοῇ, perspiratione sunt privata. Quo fit, ut color natus stranguletur. *cap. 7.*

63. Primùm autem flos coloris in parte laborante extinguitur, qui in inflammationibus aderat. Deinde dolor cessat: non sedatâ dispositione: sed mortificato sensu,

su, Tertiò pulsus perit. Inseparabilis autem à magnâ inflammatione est pulsus. Sic autem veteres nominare videntur motū arteriarum, quem æger percipit, cum, vel sine dolore. Inter phlegmonis autem symptomata is recensetur, qui cum dolore accidit. Nam in statu naturali motus arteriarum est ἀναίθητος, & à nobis non sentitur. In ipsis verò inflammationibus cum dolore percipitur. Ratio est: quia arteria, cùm dilatatur, partes circumpositas percutit. Percussione autem dolemus propter inflammationem. Quando verò ipsa quoq; arteriæ tunica inflammata est, dolorem geminat: quia percutit simul atq; percutitur. cap. 8.

Πραγμα
τολογί-
ας μεμ-
βριται 2.

64. Sequuntur ρεύματα χολώδη, tumores ex bilis influxu nati. cap. 9.

65. Vicit enim nescio quomodo Medicorum mos, ut sive bilem nominemus ἀπλωσ, sive biliosum humorem, eam semper inaudiamus, quæ est ὠχρὰ καὶ πικρὰ, pallida & amara: non illam, quæ nigra & acida. Hanc enim perpetuò cum adjectione coloris exprimunt. cap. 9.

66. Cùm igitur bilis in partem aliquam decubuerit, siquidem sit ἀκριβήσ, exacta, h. e. mera ac sincera, cutem exulcerat. Sin ichori aquoso sanguinive permista, partem potiùs tumefacit, quàm ulcerat: quoniam minùs est acris. Exulcerans herpetem: non ulcerans erysipelas creat. cap. 9.

67. Humoris verò qualitatem ac conditionem affectus color & calor patefacit. cap. 9.

68. Quia autem bilis vel magis, vel minùs est acris, sciendum, ex acriore generari ἐσθιόμενον ἔρπητα. Sic enim ipsum nominavit Hippocrates. Ex minùs acri fieri ἔρπητα illum, quem nonnulli post Hippocratem κευχρίαν, miliarem vocârunt: quoniam eminentias, sive pustulas & tubercula granis milii similia in cute producit. cap. 9.

69. *Galenus* persuasum habet miliarem herpetem ex bilis & pituitæ miscellâ provenire. Ἐσθιόμενον verò, sive exedentem, sobolem esse χολῆς ἀκριβοῦς, meræ & sinceræ bilis. Quo nomine etiam cutem corrodit. Unde ei nomen Ἐσθιόμενος. *cap. 9.*

70. Quodsi sanguis & bilis æqualibus misceantur portionibus, tumor oritur, qui medius est inter erysipelas & phlegmonem. Si verò alter humor multùm superet, tunc à prædominante humore tumor cognominatur: prædicatur verò is, qui illi adjunctus. *cap. 9.*

71. Itaq; erysipelas φλεγμονῶδες à prædominante flavâ bile dicitur. Phlegmone verò ἐρυσιπελατώδης à sanguine superante nomen habet. Estq; similis cæterarum quóque mistionum cognominatio. Nam phlegmone scirrhusa, & scirrhus φλεγμονώδης vocatur: Itémque oedema φλεγμονῶδες, & phlegmone οἰδηματώδης dicitur. *cap. 9.*

72. Hi enim 4. tumores, ἐρυσιπελας, οἰδημα, φλεγμονή καὶ σκίρρῶς, frequenter admodùm fiunt: & quidem δι' ἐπιρροὴν ὑγρῶν, propter influxum humorum. Erysipelas quidem ob vincentem fluxum biliosum: phlegmone ob sanguineum: oedema ob pituitam tenuiorem: scirrhi verò genus alterum ob crassam & glutinosam. *cap. 9.*

73. Est enim scirrhus duplex: alter à pituitâ crassâ: alter à melancholia, quæ fæx est sanguinis, proveniens. *cap. 9.*

74. Melancholia verò duplex est. Una, quam fæcem & limum sanguinis appellant. Altera, quæ atra bilis nominatur. Ab istâ canceri: ab illâ scirrhi quidam oriuntur. *cap. 9.*

75. Distinguuntur autem scirrhi melancholici à pituitosis colore. Hi namq; albicant: illi nigricant. Conveniunt in tribus. I. quia utriq; tumores sunt quàm pro ra-

tionem naturæ majores. II. quia tumores sunt ἀνώδυνοι, indolentes. III. quia sunt tumores σκληροί, duri. IV. quia interdum fiunt ἐξ ἀρχῆς, sine prævio affectu: aliquando ἐκ μελαπλώσεως, transmutatione phlegmonis, aut erysipelatis, aut œdematis, cùm vehementiùs sunt refrigerata. *cap. 9.*

76. Scirrhus propinqua sunt τὰ ἐκχυμώματα καὶ μελάσματα: & accidunt senibus maximè, θλαθεισῶν τῶν φλεβῶν, venis collisis. *cap. 10.*

77. Ex his quædam sunt nigra, uti modò dictum: & contingunt præcipuè senibus, leves ob causas. Nonnulla verò πελιδνά, livida, quæ inter rubra nigráq; sunt media. *cap. 10.*

78. Fiunt autem hæc omnia sanguine è venis effuso: nunc quidem διὰ τῶν χιτῶνων θλαθειῶν, per tunicas vasorum contusas: nunc verò ἀνασομωθέντων κατὰ τὸ πέρασ, per easdem referatas in finibus. *cap. 10.*

79. Orificio verò in arteriâ facto (ἀνασομωθείσης ἀρηρίας:) affectus ἀνεύρισμα vocatur. *cap. 10.*

80. Fit autem, cùm arteria est vulnerata; vulnus verò neq; agglutinatum, neq; ad cicatricem perductum, neq; à carne obstructum: cutis verò, quæ illi adjacet, ad cicatricem devenit. *cap. 11.*

81. Signa ἀνευρίσματος sunt sequentia. I. pulsus, quos facere arteriæ consueverunt. II. cùm premitur affectus, ἀφανίζεται, evanescit omnistumor: quia substantia, quæ illum efficit, in arterias recurrit. Est verò tenuis simul flavusq; sanguis tenui multóq; spiritui permistus. III. vulneratum ἀνεύρισμα ejaculatur sanguinem, ut vix supprimi queat. Est enim sanguis arteriarum, uti modò dictum, tenuis & spirituosus: estq; calidior multò quàm is, qui in venis continetur. *cap. 11.*


82. Cedit quidem etiam materia prementibus digitis
in

in œdemate, parsq; affecta foveam concipit. Verùm, inter se distinguuntur *ἀνεύρισμα* & œdema: quoniã in œdemate pulsus est nullus: color albidior: tumor latior & major, quàm in aneurismate: nisi grumus aliquis ingentus ex aneurismate *σφάκελον* faciat. *cap. 11.*

83. Vocat autem *Galen.* *σφάκελον* hoc loco, quemadmodũ se ipsum interpretatur, *τὴν φθορὰν τῶν σερειῶν σωματίων ἅπασαν*: ut ipsis quoq; ossibus insit, ne dum carnibus, aut vasis. *cap. 11.*

84. Gangræna verò *νέκρωσις* ipsa quoq; est solidorum corporum: sed ossibus non accidit: magnasq; inflammationes sequitur. Species quædam est *τῶν σφαικῶν*, propriamq; & selectam appellationem supra communem est adeptæ. *cap. 11.*

85. Sequitur, ut verba de melancholicis fluxionibus ac tumoribus faciamus. Πραγμα-
τολογία

86. Soboles earum Cancer est, græcè *καρκῖν* : qui duplex: unus ulceratus: alter nequaquam. *cap. 12.* ασ μεμ-
βρῆ 3.

87. Ulceratus fit, cùm bilis atra mordax est & acris. Talis enim si decubuerit in carnem, cutem circumjectã perrodit. Si verò fuerit mitior, vi erodendi & ulcerandi caret. *cap. 12.*

88. Venæ in cancro magis attolluntur, quàm in phlegmone: colorq; respondet qualitati bilis atræ. *cap. 12.*

89. Cæterùm, non solum cancriforme ulcus, verùm etiam alia multa cùm tumoribus accidere solent illarum partium quibus insident: suntq; omnia *κακοχυμία*, ejusq; aut biliosæ, aut melancholicæ, aut certè virulenti cujusdam praviq; humoris ex majori corruptelâ geniti effectus. *cap. 12.*

90. Quæ verò ex iis depascuntur invaduntq; vicina, & *τὸ περιέχον ὑγιές σῶμα*, corpus continens, quod sanum, perrodunt, ea omnia *φαγεδαμικά*, exedentia, sive depa-

scientia nuncupantur. Φαγέδαιναν autem Medici appell-
lant ex ambobus composita, ulcere scil: ipso & tumore
circumjecto. *cap. 13.*

91. Depascitur quidem & ἔρπησ, & perrodit γὰ περίξ,
quæ circum sunt. Verùm, cutis solùm exulceratio est. Φα-
γέδαινα autem penetrat altiùs, & illa quoq; , quæ subdita
sunt, aggreditur. *cap. 13.*

92. Χειρώνεια verò καὶ τηλέφεια vocare ulcera , superva-
cuum est. Sufficit enim, omnia communiter κακοήθη, ma-
ligna appellare. *cap. 13.*

93. Ex melancholicâ fluxione proveniunt quoq; ψώρα
καὶ λέπρα. Sed affectus sunt solius cutis. Cancer enim,
qui καρκῖν⊕ Græcis, nominatur, si in venis quoq; & car-
ne fiant. *cap. 13.*

94. Melancholicū πάθ⊕ etiam est ὁ ἐλέφασ : primam
quidem generationem habens ex sanguine melancho-
lico : temporis verò spatium plus gignitur atræ bilis, quàm
sanguinis : ac tùm foetent ægroti, καὶ ἰδεῖν ἀπεχθεῖσ, visu
molesti sunt. *cap. 14.*

95. Contingunt nonnullis elephantiasi laborantibus
ulcera : vocatúrq; affectio, cùm incipit, σατυριασμὸσ. quo-
niam Satyris vultu similes fiunt. Aliqui verò γὰσ κατὰ γὰσ
κροτάφασ ἐξοχὰσ ὀσώδεις, eminentias osseas, quæ in tem-
poribus consistunt, sic vocant. *cap. 14.*

96. Oboriuntur quoq; tales eminentiæ in partibus a-
liis, & ἐξοσόσεις à quibusdam dicuntur. *cap. 14.*

97. Nomen etiam σατυριασμὸσ gerunt naturales pu-
dendorum ἐνλάσεις, distentiones minimè desistentes :
quem tamen affectum aliqui περιαισµὸν nuncupant
cap. 14.

Πραγμα
τολογί-
ασ mem-
brum 4.

98. Est & ἀχὼρ parvum ulcus in cute capitis, pituitæ
falsæ & nitrosæ soboles. *cap. 15.*

99. Fluit ex ulcere isto ichor, sive sanies quædam, neq;
simpli-

simpliciter aquosa, neq; tamen adeò crassa, ut mel: qualis manare consuevit iis ex ulceribus, quæ κήρια, favi nominantur. *cap. 15.*

100. Adest enim hisce ulceribus, & tumor, & foramina plura in illis conspiciuntur, & humor melli affinis extillat. Tumor tamen parvus est, & minor eo, qui in achoribus visitur. *cap. 15.*

101. Minores adhuc tumores in cute fiunt, qui μυρμικία, ἀκροχόρδονες, ψύδρακες καὶ ἐπιφυκίδες nominantur: affectiones notæ omnibus. *cap. 15.*

102. Notus est & ὁ δόθην, furunculus: ἐπιεικῆς μὲν, mitis quidem, cum in solâ cute consistit: κακοήθης δὲ, malignus autem, cum penetrat in profundum. Similis φύματι: solâ duritie ab eo diversus. Ambo πάθη sunt φλεγμονώδη. *cap. 15.*

103. Præter hos tumores etiam se offert is, qui βεβῶσ bubo, quiq; φύγεθλον appellatur. Uterq; ab aliis φύμασι, differt, quòd & calidiores sint, & celerius generentur augmentumq; temporius acquirant. *cap. 15.*

104. Sunt, qui dicant, φύγεθλα inflammationes solum esse glandularum, quæ in axillis & inguinibus sitæ, *cap. 15.*

105. Glandulæ istæ cum induruerunt, affectus χοιράσ, struma dicitur. *cap. 15.*

106. In testibus & scroto tumores oboriuntur peculiare, σαρκόκῆλη, ὑδροκῆλη, ἐπιπλοκῆλη καὶ ἐντεροκῆλη cognominati. Simples sunt isti. Sunt & compositi: qualis est ἐντεροεπιπλοκῆλη. *cap. 15.*

107. Juniores Medici, ait *Galenus*, omnes testiculorum tumores vocabant κήλας, hernias, sive ramices. Præter hosce tumores observatur etiã alius in iisdem testiculis, qui κισσοκῆλησ nomen est sortitus. Ostendit nomen istud τὸ πάθῳ, affectum ipsum: præcedentia verò partis morbum. *cap. 15.*

108. Antiqui κίρσες, varices appellant venas omnes, quæ p. n. sunt dilatatae. Frequentes sunt in cruribus, propter imbecillitatem venarum cruralium : præsertim cum corpus crasso sanguine abundat. *cap. 16.*

109. Rupto dilatatove peritoneo, nec iterum consolidato, tumor nascitur laxus & mollis. Βυβωνοκήλη dicitur, si fiat in inguine. Ἐξόμφαλος, si in umbilico. *cap. 16.*

110. Sunt autem isti tumores non solius peritonæi affectus, sed necessum est, ut etiam ἀπονευρώσεις, nerveæ appendices musculorum abdominis transversalium læsæ sint, *cap. 16.*

111. In herniâ, quæ accidit in inguine, (ἐν τῷ βυβῶνι) unâ cum peritonæi processibus ruptæ quòque sunt, aut dilatatae ἀπονευρώσεις musculorum abdominis obliquorum : ibi scil. ubi peritonæi processus consistunt. *cap. 16.*

112. Propter tumores subiectorum viscerum, v. g. inflammationes, scirrhus, abscessus &c. tument etiam partes abdominis aliæ. In hydropicis autem venter tumet, vel propter copiam aquæ, ut fit in ascite : vel propter multitudinem flatuum, ut in tympanite contingit : vel propter abundantiam pituitæ, velut in anasarca, siue leucophlegmatiâ, evenire solet. *cap. 16.*

113. Præter dictos tumores cernuntur & alii plures, propriis insigniti nominibus : ἔθεν δ' ἐξάρετον ἔχοντες, nihil selectum habentes. v. g. ἐπιλίδες, παρλίδες, θύμοι, aliâque βλασήματα σαρκώδη, germina carnosæ. *cap. 17.*

114. Sunt & σταφυλαί, & παρίσθμια, & ἀντιάδες : quæ nil aliud, quàm inflammationes. Σταφυλαί quidem uvulæ, siue gargareonis : ἀντιάδες glandularum, quæ in faucium principio sibi invicem opponuntur : παρίσθμια illorum corporum, quæ sunt in faucibus, hoc est, amygdalarum. *cap. 17.*

115. Videtur autem Hippocrates non omnem gargareonis

nis inflammationem nominare *σαφυλήν*, uvam : sed u-
nam solùm speciem, quâ gargarionis terminus similis
est uvæ acino. *cap. 17.*

116. Πολύποδες aut inflammatione, aut φύματι, aut ger-
mine aliquo, aut, utcúnq; nominare quis voluerit, in
naribus constituto efficiuntur. Φλεγμονώδεις verò sunt &
humidi propter locum. *cap. 17.*

117. Έγκανθιος tumor est p. n. in magno oculi cantho.
Non est autem *ἴω παντὶ γένει παρὰ φύσιν.* *cap. 17.*

118. Περύγια, hoc est, ungues, sunt germina membra-
næ oculi conjunctivæ, quæ à periostio delata ad coronam
pervenit. *cap. 17.*

119. Σταφυλώματα alia quidem τῇ θέσει μόνη, solâ po-
sitione : alia τῇ διαθέσει παρὰ φύσιν, ipsa dispositione
præter naturam. *cap. 17.*

Verùm de hisce oculorum tumoribus actum alibi. *Pars 3.*
Iam enim doctrinæ de tumoribus p. n. finis imponendus. *Libri Cō-*
clusio.

COROLLARIA.

I.

Possintné omnes tumores p. n. qui ab authoribus de-
scribuntur, ad illos referri, quos Galenus recensuit ?
Affirmatur ideóq; perfecta Galeni est tumorum nar-
ratio : si non actu, saltem potestate.

II. Num omnes corporis nostri partes tumesceri possint ?
Reclamare videntur ossa & cartilagines.

III. Sitné specifica differentia inter tumorem, tubercu-
lum & pustulam ? Videntur potissimùm inter se dif-
ferre magnitudine. Tumor enim tuberculo major
est : & utròq; minor pustula.

IV. Utrum omnis tumor causam habeat *συνεκτικήν* ? A.

V. An tumores omnes, qui quidem ab humoribus pro-
veniunt, fiant vel per modum *συγκρίσεως*, ἢ *ἀθροισμῶς*,
D congestio.

congestionis : vel per modum *πέυμασιμῶς*, fluxionis ?

Affirm. Frequentissimè tamen per modum *πέυμασιμῶς*.

VI. Quæ sint utriusq; causæ ? Congestionis causa est, vel partis laborantis imbecillitas, quæ nec affluens alimentum in propriam substantiam mutare, nec genita excrementa à se propellere valet : vel labefactatio & vitiatio quædam, quæ alimentum corrumpit. Fluxionis causa latet, aut in parte mittente : aut in recipiente. Pars mittit, vel quia à calore & acrimoniâ humoris irritatur : vel quia à copiâ ejus gravatur Pars recipit, vel quia p. n. calet : vel quia vehementer dolet : vel quia insigniter languet, laxa est & declivis. Talis enim aliena quæ sunt, facilè admittit.

VII. Sitné tumor simplex, an compositus affectus ? Compositus : hic tamen magis : ille minùs. In quibusdam enim tumoribus deprehenditur, & intemperies, & aucta magnitudo, & figura vitiatata, & meatus obstructi, adstrictive, & vitiosus partium situs, & continui solutio.

VIII. An tumores effatu digni, qui alios affectus consequuntur, eosque finiunt, quales sunt abscessus critici, in genere symptomatum propriè dictorum habendi ? Negatur : quia ad nullum eorum genus referri possunt.

IX. Utrum tubercula & pustulæ leves atq; exiguæ, quæ actionem non lædunt, morbi sint ? Negatur : sed pro symptomatibus haberi possunt : & quidem pro affectibus corporis simplicibus.

X. An gangræna sit tumoris species ? Per se & formaliter considerata nequaquam. Hic tamen à Galeno consideratur, quia magnarum inflammationum soboles est valdè frequens.

XI. Quænam potissima & frequentissima inflammatio-

num sint subiecta? Secundum Galen. partes carnosæ.

XII. Inflammari etiam possint ossa, nervi, tendines, ligamenta, cutis, membranæ? Galen. affirmat c. 2. & experientia id ipsum probat.

XIII. Sintne inflammationū effatu dignarū & sentientes corporis partes occupantium sex signa *π α θ ο υ γ ν ω μ ο ν ι κ α*: tumor, calor, rubor, dolor pulsatorius, tensio, & renitentia? Omnino. Tumor enim adest, quia pars à copioso sanguine, qui influxit, elevata. Calor: quia & sanguis per se calidus est: & constipatus difflari nequit: & putridus calorem p. n. contraxit. Dolor: quia adest intemperies calida, & solutio continuitatis, dependens à sanguine distendente. Molesta pulsatio: quia arteriæ suo motu partes dolentes percutiunt. Tensio: quia omnia sunt repleta: non vasa solùm: sed etiam spatiola inania. Deniq; renitentia: quia adest durities. Hæc autem præsens est propter repletionem.

XIV. An phlegmone assistēs ulceribus, vulneribus, fracturis & luxationibus, symptoma rectè statuatur? Negatur.

XV. An phlegmones vocabulū uno semper codēq; modo accipiatur? Negatur. Significat enim I. omnem calorem naturę modum excedentem, etiam siccum, qui adest sine materiæ affluxu. II. omnem tumorem calidum. III. tumorem, cui competunt signa *π α θ ο υ γ ν ω μ ο ν ι κ α* modò commemorata. Quæ significatio propria est & specialis.

XVI. An omnes verę inflammationes unius sint ejusdemq; speciei? Affirmatur: quia vnā eandemq; habēt formā & definitionem. Usus tamen obtinuit, ut pro diversitate partiū, quas obsident, diversa sortita sint nomina:

XVII. An mammæ lacte turgētes, & venter gravidarū tumore p. n. laborare dici queant? Negatur: dummodò intra limites sese contineant ordinarios & consuetos.

- XVIII. Quid apud Hippocratem & priscos œdema? Sæpè hoc nomine quivis tumor p. n. innuitur: specialiter v. & propriè is solùm, qui I. est mollis & laxis. II. indolens. III. cuti concolor, h. e, albus. IV. prementi digito cedens. V. à pituitâ naturali profectus.
- XIX. Recte né aquosi tumores sub pituitosis, hoc est, sub œdematibus comprehendantur? Non videtur. Serum enim & pituita humores sunt specie distincti: ideóq; distinctos etiam tumores producant.
- XX. Utrum scirrhi fiant tantùm ab humore melancholico, an etiam à pituitâ crassâ, glutinosâ, siccâ? Ab utrôq; humore.
- XXI. An in quovis erysipelate tumor appareat? Omnino: etiã in erysipelate exquisito, quod à bilioso sanguine, eóq; valdè tenui oritur: licet tumor effatu dign^o nō sit.
- XXII. Fiat né erysipela tantùm à bile alimentariâ, quæ est calida, sicca & tenuis massæ sanguinæ portio: an etiam ab excrementitiâ? Ab utrâq;: sed frequentissimè ab alimentariâ, ut experientia probat.
- XXIII. Utrū carbunculus generetur ex sanguine? Afferitur: sed affato atq; adusto. Signum est crusta eius nigra: color urens: pustulæ similes iis, quas ignis excitat.
- XXIV. Num cancer generetur ex melancholiâ naturali, quæ limus & fæx sanguinis dicitur? Non videtur: quia hæc materia est scirrhi. Materia autem cancri atra bilis est: quæ si sit mitior, h. e, minùs calida & acris, cancrum cæcum, latentem, sive non ulceratum parit. Sin sit acrior, calidior, & mordacior, cancrum ulceratum excitat.
- XXV. Quæ causa, quòd cancer aded frequens sit in mammis mulierum? Causa videtur duplex. I. Rara, laxa, mollis, fungosa & spongiosa earum substantia, quæ crassos fæculentósq; humores facillè admittit. II. insignis consensus mammarum cum utero. Itaq; nisi menses per uterum probè expurgentur, fieri facillè potest, ut sursum se ad mammas recipiant, & vel inibi corrumpantur, vel jam corrupti ad eas transferantur.